



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Disp. IX. De modo & circumstantis annuntiationis Angelicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

interius illuminatam, vel (vt Ambr. ait) *ita recognouisse Angelum*, vt illum esse bonum verumq; Dei nuntium non dubitauerit. Et ideo statim, ac audiuit, *Ecce concipies in utero*, &c. fidem adhibuit, ac credidit, vt idē Ambr. super Lucam, & Sancti supra citati affirmant. Reliqua, quæ ad hanc interrogationem pertinent, supra explicata sunt.

Quintò, circa illud verbum Virginis, quo suum præbuit consensum, nihil D. Th. notat, quia nihil dubitationis habet, sed admirationis quàm plurimum. In singulis enim verbis latet mysterium: summamq; Virginis prudentiam, & virtutem singula ostendunt: non tamen est nostri instituti hæc latius ponderare, sed ad sacrarum Scripturarum expositores hoc spectat, qui legendi sunt, præsertim Ambros. libr. 2. Luc. Bern. in homil. super *Missus est*. August. & alij Patres in Concion. de annunt.

DISPUTATIO IX.

In quinque Sectiones distributa.

Demodo, & circumstantijs Annuntiationis Angelicæ.



Ve hæcenus de Beatissima Virgine disputauimus tempus illud potissimū comprehendunt, quod filij conceptionē antecessit, nunc verò dicere incipimus de ijs, quæ illi acciderunt ab eo tempore, quo Dei est mater effecta. Et ideo quasi communis iam erit, & coniuncta de matre, ac filio disputatio, simulq; explicandus erit modus, quem in exequendo incarnationis mysterio diuina sapientia, omnipotentiaq; seruauit. Habemus autem ex Euangelio initium perficiendi hoc mysterium proximè ab annuntiatione Angeli sumptum esse, cuius rei causæ, ac rationes in commentario primi, & secundi articuli explicatas reliquimus. Multa etiam, quæ ad intelligentiam illius admirabilis colloquij pertinent, partim in commentario articuli quarti partim superius disputando de innocentia, & Virginitate Mariæ tradita sunt, & in sequentibus alia dicenda erunt, explicando effectum huius Annuntiationis, & quando, quomodo uè peractus sit. Igitur solum superest, vt de modo, ac circumstantijs huius Annuntiationis, & de ijs, quæ in ea Virgini acciderunt, pauca dicamus.

SECTIO I.

Quis fuerit Gabriel Angelus diuinæ incarnationis nuntius.

Ex qua hierarchia, aut ordine hic Angelus fuerit, Scriptura non exprimit, & Patres variè sentire videntur, vnde res videtur esse incerta, & ambigua. Bernard. Primum enim Bern. hom. 1. de Annuntiatione dicit, non fuisse ex minoribus Angelis, qui frequenter mittuntur, postea verò addit, propter ea dici, *Missus esse à Deo*, quia ab eo immediatè intellexit mysterium, & nulli præterquam ipsi ante Virginem declaratum est, & quia ab eodem immediatè est missus, nullo excellentiori Spiritu inter Deum, & ipsum interueniente. Ex quibus verbis colligi videtur, illum, vel fuisse supremum Angelorum, vt per nullum superiorem mitti, vel illuminari potuerit, vel saltè esse ex supremis ordinibus, qui à Deo immediatè illuminantur. Et sane videtur consonū dignitati mysterij, vt supremus omnium fuerit, quando quidem suprema legatio illi commissæ est: tum etiam quia missus est ad instruendam Virginem, quæ dignitate, & gratia erat om-

nibus ordinibus Angelorum superior, ergo decuit vt per supremum Angelum instrueretur. Alij verò Sancti interdum, *Angelum*, interdum, *Archangelum*, eum appellant. Iren. li. 5. contra her. c. 25. *Archangelum* Irenæus vocat. Idem Ambr. li. 1. de Spir. Sanct. c. 7. Aug. ser. 14. de natu. Hefich. hom. 1. de sancta Deipara, homil. 14. men. 2. vocat, *Angelorum principem*, sicut Greg. hom. 34. in Euangelia, & *Archangelum*, & *summum Angelorum* vocat, & Andreas Ier. hom. de Annuntiatione, *Archangelum*, vocat, & *unum ex principibus Angelorum*. Vnde ex his appellationibus nullum firmum argumentum colligi potest. Nam etiam Ecclesia Michaelē nunc *Angelum*, nunc *Archangelum*, nunc *principem Angelorum* vocat. Quia sicut nomen, *Angelus*, & commune est omnibus cælestibus spiritibus, & infimo ordini accommodatur: ita etiam nomen *Archangelus*, quamquam vna significatione proprium sit secundi ordinis infimæ hierarchiæ: tamen alia ratione vniuersaliori omnis Angelus, qui primatum aliquem habeat inter cælestes spiritus, *Archangelus* vocari potest. Non constat autem certò sub qua significatione Gabrieli tribuatur.

In re tamen incerta D. Tho. sententia verifimilior est, eum scilicet fuisse ex vltima hierarchia, & caput, ac principem secundi ordinis Archangelorum. Coniectura est, quia teste Dion. de cæl. hier. c. 3. Angelorum ordines, & hierarchiæ officijs, ac ministerijs distinguuntur, neq; alicui (inquit) *fas est operari, nisi quod officij sui diuinæ auctoritatis infusio*: ex omnibus autem ordinibus duo vltimi infimæ hierarchiæ, ad custodiendos homines, vel res, quæ ad illos pertinent, annuntiandas destinati, ita tamen, vt infimus Angelorum ordo ad res inferioris ordinis, Archangelorum autem ordo ad altiora mytheria nuntianda destinetur, ergo Gabriel, qui ad annuntiandum missus est, ex his ordinibus fuit. Non enim oportuit hierarchicum illum ordinem immutari, aut Deum dispensatione aliqua vti, cum necessarium non sit. Quia verò ad annuntiandum supremum omnium mytheriorum mittebatur, decuit, vt supremus esset in vtroq; illo ordine, fuit ergo Archangelorum primus. Quæ tota ratio in Dionysij, & Gregorij doctrina in locis citatis fundata est. Et confirmari potest, quia verifimilior est Gabrielem non fuisse supremum omnium Angelorum, quia Michael Angelus superior est illo, vt ex Dan. 8. colligitur, & ibi Hier. notauit, & clarius Rup. li. 5. in Apoc. in princ. & significat Ecclesia tam in officio sancti Michaelis, quam in quotidianis precationibus, seu litanijs, ergo signum est, solum fuisse summum eorum Angelorum, qui nuntiorum munere funguntur. Quia si propter altitudinem mysterij missus fuisset aliquis alterius ordinis vel hierarchiæ, certè eadem ratione mittendus fuisset omnium supremus, vt supremum mysterium nuntiaret, non ergo est habitatio magnitudinis mysterij secundum se, sed vt annuntietur, seu annuntiationis eius, & ideo missus est supremus in officio annuntiandi.

Sed ex prædicta ratione, & assertionē nascitur dubium, An idem fuerit Gabriel Angelus, qui Danieli apparuit, c. 8. & 9. & Zachariæ, Luc. 1. & qui hoc mysterium Mariæ annuntiavit. Nam quod idem fuerit, Primum ex eodem nomine colligitur. Deinde hoc affirmant Hieron. Dan. 8. Iren. supra, Ambr. ser. 63. & Andreas Ier. loco citato. In contrarium vero est, Primò, quia si hic fuit supremus Archangelus, quia ad supremum mysterium nuntiandum mittebatur, non videtur decuisse, vt ad inferiores legationes mitteretur. Cur enim eiusdem dignitatis nuntius ad Christi, & Ioannis Baptistæ conceptionem nuntiandam mitteretur? Deinde, ex identitate nominis, non potest iudicari, quod fuerit eadem persona: interdum enim diuersæ personæ Angelicæ eodem nomine vocantur, vt notauit Abul. in 23. ca. Exod. q. 81. & in 13. c. Iudic. q. 35. Et ratio est, quia nomina Angelorum ex officijs, seu ministerijs sumuntur: vnde licet perso-

Gabriel diuina nuntius incarnationis, ex qua nam hierarchia fuerit Angelorum. Dionys.

Hieron. Rupert.

Dubium. Dan. 8. & 9. Luc. 1.

Hieron. Irenæus. Ambros. Andr. Ierol.

Abulens. perfo-

personæ diuinæ sint, propter officij similitudinem, eodem nomine appellari contingit. Ed vel maximè, quòd idem nomen iuxta varias etymologias potest diuersa mysteria, seu diuersas proprietates indicare, ideoque & diuersis personis attribui, vt in præfenti nomine videre licet. Proclus enim Cyzicenus in quadam homilia, quæ habetur in Concil. Ephes. tomo. 6. cap. 7. Gabrielis nomen interpretatum dicit idem sonare, quod *Deus, & homo*, quæ etymologia (si vera est) accommodatissima est ad huius mysterij nuntium nominandum. Theoph. verò Luc. primo, interpretatur, id est, *Homo Dei*, seu, *Vir Dei*, quomodo accommodari potest ad eum Angelum, qui cum Daniele loquebatur. Hieronymus autem Daniel. 8. & lib. de nominib. Hebraicis in Lucam, & Bernard. homil. 3. in *Missus est*, & Euseb. Emif. homil. in idem Euangel. interpretatur, *fortitudo Dei*, seu, *robustus Dei*, quæ interpretatio huic etiam mysterio maximè quadrat.

Responso. Res sanè videtur incerta, non oportet tamen à communiori Patrum sensu discedere, nec in Scriptura sacra ambiguitatem illam seu diuersitatem per sonarum Angelicarum sub eodem nomine, sine sufficienti fundamento introducere. Quamuis ergo hic Gabriel supremus sit Archangelorum omnium, & ideo ad lapremum Dei opus nuntiandum missus fuerit: non est aliquid inconueniens, quod aliquid aliud aliquando nuntiauerit. Præsertim quia omnes alie legationes, quæ de hoc Angelo leguntur, ad hoc mysterium specialiter ordinantur. Nam Daniel nuntiavit tempus aduentus Christi, & præclarum illud signum septuaginta hebdomadarum dedit: Zachariæ verò dixit illa verba. *Ipsæ præcedet ante illum*, id est, ante Christum, in *Spiritu, & virtute Elia*. In quibus significauit, iam proximè in stare Christi aduentum. Ex quo etiam verisimile est, quod Bern. supra indicat, eundem fuisse Angelum, quia Matthei primo & 2. Iosepho apparuit, & qui Virgini filium nuntiauerit. Quia totum illud erat veluti vnum ministerium, ad eundem proximum finem ordinatum.

SECTIO II.

V. Angelus Virgini apparuerit in specie visibili, atque humana, & de perfectione reuelationis Virgini factæ.

*R*atio dubitandi est, quia verisimile est factam fuisse Virgini reuelationem perfectissimam: tum propter mysterij altitudinem: tum propter ipsius Virginitatis perfectionem, maximamque capacitatē: sed reuelatio eò est perfectior, quòd intellectualior, purior, & abstractior ab omni sensu, imaginariaque visione, vt docet D. Th. 2. 2. q. 174. artic. 2. & 3. vnde inter reuelationes, quæ aliquo modo concernunt sensum, seu per illum fiunt, illa erit perfectior, quæ abstrahi à sensu exteriori, & in ipso interiori fit, quia hæc magis ad intellectualem accedit, ergo hæc reuelatio Virgini facta, vel fuit purè intellectualis, vel saltem ab exteriori sensu abstracta, ergo non fuit necesse, vt Angelus illius reuelationis nuntius externo sensui in humana specie apparuerit.

Nihilominus certum arbitror esse, Gabrielem in specie humana, exteriusque sensibili apparuisse Virgini. Quod primo fundari potest in illis verbis Luc. primo, *Ingressus Angelus ad eam dixit, & postea, dixit autem Maria*, Ac tandem concludit, *discessit Angelus ab ea*. Ille enim ingressus, & discessus corporalem motum indicat. Illa etiam mutua colloquutio sensibilibus sine dubio erat. Quis enim dubitet, Beatam Virginem sensibili voce esse locutam? loquebatur ergo ad eum, qui sensibilibus audire apparebat, quicquid eodem modo loquebatur. Secundo, est hæc sententia San-

Fr. Suarez. tom. 2.

*A*storum. Ambr. lib. 1. de offic. c. 8. & lib. 1. in Luc. Orig. Petr. Chry. hom. 4. in Luc. Euseb. Emif. dicta hom. in *Missus est*, & solog. Petr. Chryf. ser. 140. Hier. tom. 1. epist. 7. ad Lætam de institutione filiarum, & epist. 22. ad Eustoch. de custodia virgin. circa finem. Optimè Aug. ser. 14. de natiuitate cuius verba hic retulit D. Th. in argumento, *sed contra*. Tertiò, ratio potissima est, quia ita placuit Deo, qui Angelum mittebat. congruentiæ vero, & coniecturæ sunt optimæ, quas D. Th. affert. Summa earum est, quia hic erat modus suauior, & humanæ naturæ accommodatior. Sic enim Angelus præfentia sua quodam modo representabat eum, quem nuntiare veniebat. Virginem quoniam non solum in mente, sed etiam in corporeis sensibus poterat recreare, & confortare. Ac denique hic reuelationis modus non impedi-

*B*at, sed potius ad perfectionem Virginitatis cognitionem, & fidem iuuare poterat. Secundo probabiliter credi potest, Angelum non tantum in externa specie, sed etiam in sua substantia apparuisse, ac visum esse à B. Virgine. D. Th. hic art. 3. D. Thom. ad primum non putat esse consentaneum statui viatoris, quòd B. Virgo Angelum per essentiam viderit, *gelum in sed licet verum sit hoc esse supra ordinarias leges hominum viatorum*: tamen non est dubium, quin viatori homini hæc visio communicari possit, cum etiam ipsius Dei intuitio ex priuilegio singulari interdum tribui possit, vt de Paulo, & Moyse idem D. Th. sentit. Quod si hæc clara Angeli cognitio potuit facile B. Virgini tribui, cur non erit verisimile illi esse datam? legimus enim aliquibus alijs sanctis, seu virginibus datum esse interdum, vt Angelos, vel animas clarè, & in substantia sua intuerentur, ergo valde probabile est sæpius hoc esse communicatum Beatæ Virgini eo tempore, quo viatrix fuit, ergo si aliquando, certè maximè in Annunciatione huius mysterij, ad hanc cognitionem eleuatam esse credibile est. Deinde hoc expresse affirmat Athan. (si tamen liber est e- *Athanas.* ius) in lib. quæstion. ad Antioch. q. 12. Quod non aliter confirmat, nisi quia decuit, B. Virginem perfectius videre Angelum, quam antiquos Prophetas, cum illis apparebant.

*D*ices, si B. Virgo clarè Angelum vidisset, non fuisset turbata, nec cogitasset, *qualis esset eius saluatio*. Quia clarè vidisset esse Angelum sanctum, & verè Dei nuntium. Respondetur illius turbationis varias causas assignari à Patribus, vt sectione sequenti videbimus. Nunc verò dicitur, si turbatio illa solum fuit admiratio, quæ ex summa humilitate proueniens, eò quòd præter exultationem, quam de se habebat, tam honorificè salutabatur, potuisse eam admirationem simul esse cum clara visione Angelica: si tamen (quod probabilius videtur & textui Evangelico, ac expositioni Patrum magis consentaneum) turbatio illa, & cogitatio fuit, quia non statim cognouit, an saluatio illa à bono spiritu proficeretur: dicendum consequenter est, Angelum in principio tantum in specie visibili se ostendisse: postea verò, & fortasse quando dixit illa verba. *Ne timeas Maria*, diuina virtute factum esse, vt vsq; ad intuendam substantiam Angeli fuerit euecta. Quo factum est, vt statim omnino sedata fuerit turbatio, & intensissimo animo illum audierit.

*E*ad difficultatem ergo in principio tactam, respondet hic D. Th. ad primum, & secundum: visionem intellectualem esse perfectiorem, quam imaginariam, si hæc sola sit, si autem cum imaginaria intellectualis concurrat, perfectius hoc esse. Et eadem ratione dicit perfectiorem esse reuelationem, quæ fit per externos sensus, quam quæ fit sola imaginaria visione, quia cum sensibus externis concurrat, & operatur simul imaginatio, multumque ab illis iuuatur, vt rem certius, & distinctius apprehendat. Quam doctrinam confirmat ex Augustin. 12. Gene. *Augu.* ad lit. c. 9. & eandem indicat Chryf. homil. 4. Matth. *Chryso.* Vbi hac ratione ostendit, perfectiorem fuisse reuelationem

Reuelatio-
num varia
genera.

lationem factam Virgini, quam Ioseph, cum ei Angelus in somniis apparuit. Ne tamen doctrina hæc pugnare videatur cum eodem D. Tho. in citato loco ex 2.2. aduerte oportet, reuelationem intellectualem propriè dici, quæ non habet ortum à sensu, vel imaginatione, sed immediate fit ipsi intellectui per lumen infusum, & species intellectuales, vel denuo infusas, vel præexistentes, & diuina virtute ad super naturalem aliquam apprehensionem, seu conceptionem faciendam applicatas: & hoc genus reuelationis dupliciter fieri potest. Primò, eleuando intellectum ad cognoscendum sine operatione phantasiæ, & hic modus est valde extraordinarius, quia non est accommodatus anime vnite corpori passibili, & id eo raro, & tantum ex singulari priuilegio conceditur. Aliter igitur fit hæc reuelatio modo magis humano, & cooperante phantasia ipsi intellectui, non tam quia motus fit ab ipsa, quam quia ipsam mouet, & applicat, vt secum operetur. At vero imaginaria, seu sensibilis reuelatio dicitur, non quia ad intellectum non pertingat (illa enim est valde imperfecta, & vix meretur prophetica reuelationis nomen) sed quia primario fit per sensibilem aliquam, vel imaginariam representationem, ex qua oritur mentis conceptio, illiq; quodammodo commensuratur. Prior ergo intellectualis reuelatio ex suo genere perfectior est, quia est abstractior, & spiritualior: & hoc modo locutus est D. Th. in 2.2. si tamen simul cum illa cognitione sensus etiam concurrant, & ad hoc etiam diuinitus iuuentur, nihil de perfectione minuetur, sed potius augebitur, & hoc est quod D. Th. hic docet. Vnde sentit ita factum esse in hac reuelatione Virgini facta, quod explicandum superest.

Aduertendum ergo secundò est, in hac reuelatione distinguendam esse personam loquentem à mysterio reuelato. De persona, scilicet, de Angelo Gabriele iam dictum est, cum qua intellectuali perfectione Virgini patefactus est. De mysterio autem ipso. Primò, non oportuit, vt saltem antequam esset, peractum clarè & prout in se est Virgini demonstraretur: imò nec necessarium fuit, vt ei reuelaretur illo intellectuali modo, qui omnino abstrahit à cooperatione phantasiæ, quia oportuit, vt prius illud per fidem crederet, modo accommodato homini viatori. Secundo, non est illi reuelatum hoc mysterium reuelatione imaginaria propriè dicta, sed reuera intellectuali. Quia nulla sensibilis imago sensibus, vel imaginationi eius obiecta est, per quam mysterium conciperet: sed nuda veritas est menti proposita, quamuis medio auditu, verboque sensibili, quod non repugnat intellectuali reuelationi. Qui auditus est sensus disciplinæ, vnde per illum excitari potest intellectus, vt sub lumine diuino interius cooperante, tam perfectè apprehendat obiectum, ac si immediatè illi proponeretur (agimus enim de apprehensione seu conceptione abstractiua, quæ per species alienas fit, & est fidei accommodata) hæc igitur conceptio perfectissimè fit per auditum, quia verba sunt expressa signa intelligibilis veritatis, quibus optimè mens instruitur, & mediantibus illis facillè potest ad intellectualem cognitionem abstractiuam perfectè eleuari. Hoc igitur modo propositum fuit hoc mysterium Virgini per verba Angeli, quibus excitata mens eius, & diuina virtute, & lumine interius eleuata, & adiuta, perfectissimè concepit mysterium ipsum, quantum per fidei cognitionem fieri poterat, & ita habuit quidquid perfectionis est in intellectuali reuelatione, & præterea sensus eius, & imaginatio per sensibilia verba adiuta fuerunt, vt facilius, ac melius possent ad intellectualem conceptionem cooperari. Tertiò dixi hæc intelligenda esse de reuelatione huius mysterii, quatenus Virgini facta est, antequam in ipsa perficeretur, quia si loquamur de illo tempore, seu momento, in quo post plenam fidem, & consensum Virginis, Verbum in

Mysterium
incarnatio-
nis quomo-
do Virgini
fuerit ab
Angelopro-
positum.

ea factum est caro, non est incredibile eleuatam esse mentem eius, vt statum viatoris quodammodo transcenderet, & mysterium, atque adeò Deum, prout in se est, & prout est humanitati coniunctum, clarè videret. Hoc enim beneficium, ac priuilegium sapius in hac vita mortali esse Virgini concessum, authores graues docuerunt, vt infra in proprio loco commodius dicemus. Si quod autem tempus in hac vita potuit esse opportunum ad suscipiendum hoc beneficium, videtur sanè illud fuisse, in quo post eximiam fidem, admirabilem obedientiam, & humilitatem, mater Dei fieri meruit. Est ergo hoc pium, & probabile quamuis incertum.

SECTIO III.

Qualis fuerit perturbatio ex locutione Angeli in Virgine facta, vnde dicitur 1a.

VT explicemus, quis, & qualis motus hic perturbationis fuerit, à causa, & radice eius initium sumamus. Traduntur autem à Patribus variæ causæ, quas D. Th. hic soluit, ad 3. art. 3. tetigit. Prima est quasi naturalis quia cum mens hominis eleuatur ad videndam rem insolitam, & præsertim superioris ordinis, pars inferior quodammodo debilitatur, & inde oritur huiusmodi perturbatio. Quæ sanè causa non nihil adiuuat, considerata humanæ naturæ fragilitate: non tamen satis est ad rem præsentem explicandam. Quia perturbatio Virginis non fuit posita in debilitate, aut defectu virium corporis, sed in aliquo animi affectu, timoris, pudoris, aut admirationis. Vox enim, *Turbata est*, hoc propriè significat, & verba Euangelij propriè intelligenda sunt, cum com modè possint. Vnde Angelus respondit, *Ne timeas Maria*, quæ verba propriè timorem significant. Responderi potest ex doctrina Caiet. hic artic. 3. verum esse turbationem fuisse in animo, ortam tamen fuisse ex necessitate materiæ, id est, ex infirmitate corporis, quod debilitatur, dum anima muleum ad superna intendit. Sed hæc doctrina (vt mihi quidem videtur) non potest ad Virginis turbationem commodè applicari. Quia quando perturbatio oritur ex hac debilitate, & necessitate, non fit sine aliqua motione indeliberata præueniente rationem, vel sine falsa aliqua apprehensione, & imaginatione, hæc cautionem imperfectio nullo modo est Virgini tribuenda. Assumptum declaratur, quia cum perturbatio oritur ex necessitate materiæ, non est in potestate hominis illam præuenire, imò vir est sui compos, vt libere possit cogitare, & discurre. Et confirmatur ex diuerso modo, quo hæc perturbatio Virginis, & alia Zachariæ narratur eodem cap. Luc. 1. vel de Daniele, Daniel. 10. De illo enim non dixit Euangelista turbatum fuisse: sed addidit, *timor irruit super eum*, id est, præuenit, & præoccupauit ipsum: de se verò dicit Daniel. *Non remansit in me fortitudo: sed species mea mutata est in me, & emacui, neque habui quidquam virium.* At verò Beatissimæ Virgini, nihil huiusmodi accidisse dicitur, sed potius, tanta animi moderatione, & constantia fuisse turbatam, vt simul cogitare, qualis esset ista saluatio. Vnde eleganter Bernard. homil. 3. *Turbata est, sed non perturbata, turbata est, & non est locuta, sed cogitabat, qualis esset ista saluatio. Quod turbata est verecunda sui virginitalis: quod non perturbata, fortitudinis, quod tacuit, & cogitauit, prudentiæ.* Non fuit ergo illa turbatio motus aliquis indeliberatus ex motione corporis, seu inferioris appetitus proueniens, sed fuit rationalis quædam admiratio, & prudens timor, ortus ex attentissima cogitatione, & ponderatione eorum, quæ audiebat, & videbat. Et confirmatur à signo, nam statim ac Angelus dixit, *Ne timeas Maria*, deposuit omnem timorem, totamq; illius legatione quieto animo audiuit, & prout.

D. Thom.

Caiet.

Luc. 10.
Dan. 10.

Perturbatio Virginis in annuntiatione qualis.

Bernard.

V. B. Virgo in Angelica annuntiatione statim Christum conceperit.

Quamvis de modo huius conceptionis in sequentibus dicturi simus, non tamen potuit hæc quaestio hoc loco prætermitti, quia ad intelligendam exacte annuntiationem Angelicam, omnino videtur necessaria. Vnum ergo inter Catholicos certum est, scilicet, B. Virginem concepisse Verbum diuinum, Virgo ante antequam Angelus ab ea discederet: hæc est enim communis sententia Sanctorum, quos statim referam. Vnde Greg. li. 18. moral. c. 36. Nuntiante, inquit, Angelo, & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, & intra vterum Verbum caro, & propter hanc causam dixit Damasc. lib. 4. c. 15. conceptionem per aurem contigisse. Et nonnulla coniectura huius rei habetur in Euangelio, statim enim ac finita est annuntiatio Angeli, B. Virgo cum festinatione iuit ad visitandam Elisabeth: & tamen iam erat mater Domini, vt testatur illa verba Vnde mihi, vt veniat mater Domini mei ad me: iam ergo conceperat Christum, & Deum, ergo signum est, statim in ipsa annuntiatione Angelica concepisse. Ratio vero est, quia illa conceptio simul inchoata est, & perfecta, (vt infra dicemus) fuit autem statim incepta, quia ad hoc mittebatur Angelus, & Spiritus Sanctus erat causa efficax, & paratissima, & ideo statim illam perfecit.

Difficultas vero est, quo tempore, vel post quæ verba, facta sit hæc conceptio. Fuit enim multorum Patrum sententia factam esse, vel illis verbis salutationis Angelicæ. Aue gratia plena Dominus tecum, vel ante illa. Ita dicit Pet. Alexan. in lib. de Deitate, vt refertur Conc. Ephes. to. 2. c. 7. & in Concil. Chalcedon. act. 1. sub hoc titulo. Nicæna synodus fidei, vbi sic ait, & verbum caro factum est, & habitauit in nobis, tum videlicet, dum Angelus sacram Virginem eiusmodi oratione salutauit, Aue gratia plena, Dominus tecum. Hoc est Dei Verbum, nunc tecum est: nam illa Gabrielis salutio Dei Verbum in vtero virgineo natum, & carnem factum insinuat. Vnde Chrys. in Liturgia, circa medium, sic inquit. Gabriele dicente tibi. Virgo Aue, cum voce incarnatus est omnium Deus in te, sacrosancta arca, & eodem modo loquitur. Nicephor. lib. 1. hist. ca. 8. & in eandem sententiam scribit Aug. ser. 14. de nativ. vbi introducit Beatam Virginem sic loquentem de Gabriele Archangelo, Visitauit, & perturbauit me, salutauit, & grauidauit, dixitque mihi, Aue gratia plena, Dominus tecum, Dominus, inquit, tecum, sed plus quam mecum, in me autem, licet sit Dominus, memetipsum creauit Dominus. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam. Sentit ergo statim factum fuisse mysterium, quando Angelus dixit illa verba. Et idem sentiunt omnes, qui verba illa exponunt de existentia Domini in virgine per verbi conceptionem, vt sentit Bern. homil. 3. in Missus est, dicens, Dominus tecum, non solum mente, sed etiam ventre. Et Laurent. Iust. sermone de annuntiatione, & Aug. ser. 2. de annuntiatione Petr. Damian. serm. 1. de natiuitate Virginis.

Certa tamen sententia est B. Virginem non concepisse diuinum Verbum, donec suum præbuit consensum, illumque illis verbis explicuit, Ecce ancilla Domini, stat mihi secundum verbum tuum. Itaque in eo momento, in quo finita sunt illa verba, perfecta fuit conceptio, & non antea. Et quidem, quod non fuerit dilata conceptio ultra illud instans, constat satis ex principio huius sectionis. Nam statim subdit Lucas, Et discessit ab illa Angelus. Diximus autem prius quàm discessisset, conceptionem fuisse perfectam. Deinde, quia iam nihil deerat, vt Spiritus Sanctus suum opus inchoaret, propter quod Angelum mis-

& prudenter respondit, Quomodo fiet istud? signum ergo est non fuisse conturbatam, nec inuoluntaria aliqua affectione commotam.

Ex quibus præterea colligitur, non corporis imperfectionem: sed animi potius virtutem, & perfectionem fuisse huius turbationis radicem, & causam quæ duplex assignatur à Patribus. Prima est, quam D. Th. secundo loco posuit, verecundia virginalis, vt Bern. etiam paulo antea citatus dixit. Hæc vero causa dupliciter explicatur: primò, vt hæc turbatio orta sit solum ex visione Angeli in viri, & iuuenis specie. Ita indicat Ambr. 1. lib. in Luc. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & latius lib. 1. de offic. c. 18. salutata, inquit, ab Angelo tacet, & mota est ad introitum eius, quia ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus virginis, & lib. 2. de Virg. in princ. indicans obiectionem, cur B. Virgo Angelicis visitationibus assueta, viso Angelo turbata fuerit? fac tacitè responderet, Gabriel eam, vbi reuifere solebat, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota, trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit, ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo. Quibus verbis significat, solitam quidem fuisse Virginem habere Angelicas reuelationes: non vero externas, & in sensibili specie viri. Quod etiam sensit Hier. epist. 7. ad Lætam. dicens. Ideo forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat, aspexit, & epist. 22. ad Eustoch. Quæ hominem formidabat, cum Angelo loquebatur intrepida, & huic rationi sic explicat, fauer lectio Græca, quæ habet verbum, vidisset, vbi Latina legit, audisset, scilicet, Quæ cum vidisset, turbata est. Alio verò modo explicatur hæc ratio, quod scilicet ex pudore virgineo, & castissimo turbata sit: non tamen propter visionem solum Angeli, sed in sermone eius, & salutatione, quæ blanda, suavis, & inuitata apparebat, & ideo, cogitabat, qualis esset ista salutio. Ita explicat Euseb. Emis. hom. in Missus est, in ser. 4. quatuor temp. aduentus, vel certe vtrumque iungi potest, nam videndo iuuenem fortasse turbati cepit, magis autem audiendo. Quod Bern. supra indicauit, & magis Damasc. orat. 1. de natiuitate Virginis, circa fin. dicens. Ita comparata erat, vt ad te nullus viri accessus pateret. Testis est merus ille, in quem ex inuitato Angeli eloquio incidisti.

Secunda causa huius turbationis fuit humilitas. Cum enim B. Virgo esset summè humilis, & nihil magnificum de se cogitaret, audiens inuitatam, & honorificentissimam salutationem, in magnam admirationem raptâ, cogitabat qualis esset salutio. Et hanc etiam causam indicat Ambr. supra dicens, salutationis nouam formam mirabatur, nusquam enim erat lecta, vel audita, & sumpsit ex Orig. hom. 6. in Luc. qui addit, salutationem nouam, & peregrinam eam tenuisse. Indicat etiam Hier. seu Sophr. ser. de assumpt. & Pet. Chrys. ser. 140. Et hanc causam maximè videtur probare D. Tho. qui duo notatione digna considerauit. Primum, in ar. 4. ad primum, Angelum annuntiationem suam ab huiusmodi salutatione inchoasse, vt Virginem attentissimam redderet, Nihil enim magis ad attentionem mouet, quàm admiratio: nihil vero personam humilem magis in admirationem rapit, quàm propria laudatio. Alterum est in ar. 3. huiusmodi turbationem non semper vitari, sed merito interdum permitti in diuinis reuelationibus, propter altiores causas, quia eadem diuina reuelatio statim reddit animum pacatum, & confortatum, sicut hic fecisse Angelum legimus, illis verbis, Ne timeas Maria. Quod notauit etiam Orig. hom. 4. in Luc. & Ambr. li. 1. in Luc. c. de apparitione Angeli, in ultimis verbis. Vnde obiter colligit D. Tho. prudens documentum, ad reuelationes boni, vel mali spiritus discernendas. Nam quæ sunt à bono spiritu, licet in principio turbent, statim vero pacem, & quietem pariunt, quæ vero sunt à malo spiritu, & perturbant animum, & inquietum relinquunt.

Fr. Suarez. tom. 2.

H 3

mise-

SECTIO V.

Quo loco, & tempore facta sit hac Annuntiatio.

P Rincipio, de anno in quo perfectum est hoc mysterium, nihil ferè dicendum superest: satis enim diffuse in præcedenti tomo, circa q. 4. D. Th. artic. 4. tractauimus, quo anno ab orbe condito facta sit incarnatio, de mense autem, & die, Ecclesiastica traditio habet factam esse octauo kalendas Aprilis, eodem nimirum die, quo primus homo formatus est, vt ibidem diximus, & Patres retulimus, & videri potest Athan. libr. q. ad Antioch. q. 17. Chrys. hom. 1. in Luc. Aug. serm. 18. de natiuitate, & libr. 83. q. 56. Quibus addi potest Conc. Flor. in decreto Eug. 4. vbi præferebit Armenis, vt illo die festum Annuntiationis celebrent. De hora vero in qua hæc annuntiatio Virgini facta est, nihil in sanctis Patribus, vel antiquis authoribus dictum inuenio. Nonnulli tamen ex recentioribus scribunt venisse Angelum ad Virginem in principio noctis, sumentes argumentum ex consuetudine Ecclesiæ, quæ illa hora signum præbet ad Virginem salutandam: Nam in vita S. Bonauent. refertur, eum hac de causa motum, hoc à Pontifice obtinuisse. Sed hæc leuis est coniectura, nam etiam luna mo manè datur signum ad Virginem salutandam, qua hora Albertus Magnus super Missus est, dixit, Angelum ingressum esse ad Virginem, nescio tamen quo fundamento, nam etiam in meridie in multis Ecclesijs datur signum ad salutandam Virginem. Vnde si hoc signum datur in memoriam incarnationis Dominicæ, vel id sit diuersis horis, quia de hora certa non constat, vel certe, quia non esset alia hora comoda, vt huiusmodi signum posset omnibus fidelibus præberi. Igitur, si coniectura vtiliter, verisimile est, eadem annunciationem factam fuisse, quæ Christus fuit natus, vt nouem integris mensibus in vtero matris habitauerit: hoc enim ad perfectionem conceptionis spectare videtur, & est magis consentaneum traditioni Patrum, & Ecclesiæ, quam infra videbimus, tractando de Christi natiuitate, vbi etiam dicemus, media noctis hora Christum fuisse natum, propter quod Ecclesia accommodat illa verba Sap. 18. *Dum medium silentium tenebant omnia, &c.* Vnde videtur concludi eadem hora fuisse annunciationem factam, ad quam non minus, imò magis accommodari possunt sequentia verba, *Dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de celo & regalibus sedibus venit.* Proprius enim dicitur Verbum descendisse de celo per incarnationem, quam per natiuitatem suam. Nec verò est, cur existimeretur in tempore illa hora noctis, vt in ea Angelus Virgini appareret. Nam verisimile potius est solitam fuisse Virginem in secretiori loco domus suæ, maiorem noctis partem in diuina contemplatione transigere, & aliunde, propter quietem, silentium, ac secretum noctis, fuisse illud tempus aptissimum, vt in eo hoc mysterium fieret.

Secundò, nihil superest, quod de loco dicamus, *Locus, vbi contemenda enim est hæreticorum impudentia, facta est annuntiatio non inuenisse Angelum domi Virginem: sed per plateas vagantem.* Quod sine fundamento temerariè fingunt, solum vt Virgini detrahan, cum tamen Luc. expresse dicat, & ingressus Angelus ad eam. Vnde omnes Patres supra citati sentiunt locum illum fuisse domum, & cubiculum Virginis, vbi orationi vacans, & fortasse aduētum Messie desiderans, ac postulans, inuenta est. Refert autem Beda libr. de locis sanctis, cap. 16. in illo loco, vbi hæc annuntiatio facta est, ædificatam fuisse Ecclesiam. Imò certa traditione constat, domicilium illud, seu cubiculum B. Virginis, post Christi in celos ascensum, ab Apostolis, & Christianis omnibus fuisse in summa religione habitum, & in templum ad sacra faciendam fuisse

miserat, statim ergo illud inchoauit, simul autem, ac inchoauit, perfecti, vt nunc suppono ex statim dicendis. Quod verò ante illud momentum non fuerit facta conceptio, ex discursu Euangelij constat. Et in primis, non fuisse factam per prima verba salutationis Angelicæ, patet ex verbis, quæ postea. c. 2. dicit Lucas narrans mysterium circumcisionis, & vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, prius quam in vtero conciperetur. Hinc enim euidenter constat, quando Angelus dixit illa verba, Et vocabis nomen eius Iesum nondum Christum fuisse conceptum. Quod satis ostendunt ipsa verba Angeli, quia post verba salutationis subdidit, *Eccce concipies in vtero, & paries, vtrumque de futuro, quia reuera tam non erat facta conceptio, quam partus, postea vero interrogante Virgine, Quomodo fiet istud?* iterum de futuro inquit Angelus, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, Quod enim ex te nascetur Sanctum, usque ad illud, Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum,* ergo in toto illo tempore nondum erat perfectum, sed expectabatur mysterium. Statim vero prorupit Deipara in illa verba, *Eccce ancilla Domini,* ergo ante illa non est perfectum mysterium.

Obiectio.

Dices, saltem fuisse perfectum, antequam B. Virgo hæc verba perficeret, vel inchoaret, quia iam prius interius consenserat, nam ex interiori consensu, & obedientia illa verba manant: sed non expectabatur, nisi eius consensus, ergo statim ante prolationem verborum perfectum est mysterium. Quod enim voluntatis consensus expectaretur, conueniens fuit, propter rationes, quæ in articulo primo explicata sunt. Quod autem usque ad externam consensus expressionem mysterium differretur, non videtur necessarium, quia Spiritus Sanctus, qui futurus erat author huius operis, mentem Virginis intuebatur. Responderetur, licet verum sit, interiorum consensum dicto modo præcessisse, nihilominus tamen oportuisse exterius sensibilibus exprimi, vt Angelo, cum quo B. Virgo more humano loquebatur, innotesceret. Sic enim voluit Deus hoc mysterium perfici, petendo consensum Virginis per Angelum: ita etiam decuit, vt non perficeretur, donec B. Virgo suum consensum Angelo declararet. Et hæc sententia est communis Patrum, vt videre licet in Damasc. li. 3. de fide. c. 2. Aug. serm. 2. de Annuntiatione: optimè Rupert. Abbas libr. 1. de operib. Spirit. San. c. 9. Euth. Luc. 1. *Discessit, inquit, Angelus ab ea, simul ac iam per verbum suum conceperat.* Et hæc est communis Patrum expositio eo loco. Citantur etiam quædam verba Anastasij Papæ in fragmento cuiusdam epistolæ, quæ habetur 2. tom. concilior. post Breuiarium Liberati, ante Conc. Aruernense, quibus expresse dicit, statim post illa verba, *Eccce ancilla Domini, Verbum adificasse sibi templum, & vniuisse.*

*Damasc.
Augst.
Rupert.
Euthym.*

*Anast.
Papa.*

Nec credendum puto, Patres in priori expositione citatos contra hanc veritatem sensisse, ac docuisse quia non est verisimile in rem tam clara, tamque aperte Euangelio contraria esse deceptos. Sed primum intendunt docere, conceptionem esse perfectam in toto illo colloquio salutationis Angelicæ, & totum illud comprehendunt in primis illis verbis salutationis. Deinde ad summum volunt, Angelum in illis verbis, *Dominus tecum*, indicasse conceptum eo sensu, quo D. Th. supra art. 4. explicuimus. Explicant autem illa verba de præterito, ac si mysterium iam tunc esset factum, vel quia loquuntur de toto illo colloquio, ac de vno momento, vel quia iam ita res instabat, vt quasi facta censetur. Præsertim, quia more prophetico potest rectè intelligi dixisse Angelus rem, quam certo sciebat statim futuram, ac si iam esset facta.

*Incarnatio
nis Christi
dies.*

*Athan.
Chrysost.
Augst.
Conc. Flor.*

*Incarnatio
nis hora.
Sap. 18.*

fuisse consecratum, propter multa, & ingentia mysteria in eo perfecta. Fuit enim (vt creditur) domus illa domicilium B. Annæ, & in eo B. Virgo nata est, Christusq; conceptus, & saltem vsque ad fugam in Aegyptum educatus. Nam de tempore post reditū ex Agypto licet Canisius cum Baptista Mantuanō censet, in eadem domo Virginem, & Christum habitasse: mihi tamen dubia res est, quia Beda in citato loco refert fuisse in Nazareth ædificatam aliam Ecclesiam in illa domo, in qua Christus post reditum ex Agypto vsque ad grandiorē ætatem educatus est. Sed illa prior fuit semper sanctior, ac celebrior habitata, & nunc etiam est in Ecclesia celeberrima. Nam eadem illa domus, in qua hæc annuntiatio facta est, ministerio Angelorum primum in Illyricum, postea in Italiam translata est, & vsque ad præsentem diem perseverat, & Lauretana Ecclesia appellatur, & in summa religione habetur, vt ex variis Historiographis erudite tractat Canis. libr. 5. de B. Maria. c. 25. Deniq; illud non omittam, domum hanc fuisse sitam in ciuitate Nazareth (vt ex Euangelio constat) & inde fuisse Christum Nazareum vocatum, vt notat Hierony. libr. de locis Hebr. in Nazareth. Neque obstat, quod illa ciuitas erat in Galilæa, quæ ad Tribum Iudæ non pertinebat. Quia, vt notauit Abulens. Matthæ. 2. q. 88. post decem Tribuum dispersionem, Iudæi qui ex captiuitate Babylonica redierant, totam illam terram occuparunt, & ita multi ex Tribu Iudæ, ex qua erat maior pars eorum, qui redierunt, extra Iudæam domicilia & possessiones habebant.

QVÆSTIO XXXI.

De conceptione Saluatoris quo ad materiam, de qua corpus eius conceptum est, in octo articulos diuisa.



Einde considerandum est de ipsa conceptione Saluatoris. Primo, quantum ad materiam, de qua eius corpus conceptum est. Secundo, quantum ad conceptionis autorem. Tercio, quantum ad modum, & ordinem conceptionis.

Circa primum queruntur octo.

Primo, utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.

Secundo, utrum fuerit sumpta de Dauid.

Tercio, de genealogia Christi, quæ in Euangelio ponitur.

Quarto, utrum decuerit Christum nasci de femina.

Quinto, utrum fuerit de purissimis sanguinibus Virginis corpus eius formatum.

Sexto, utrum caro Christi fuerit in antiquis Patribus, secundum aliquid signatum.

Septimo, utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.

Octauo, utrum fuerit decimata in lumbis Abrabæ.

ARTICVLVS I.

Utum caro Christi fuerit sumpta de Adam.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod caro Christi non fuerit sumpta ex Adam. Dicit enim Apostolus 1. ad Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo, de calo celestis. Primus autem homo est Adam, secundus est Christus. Ergo Christus non est ex Adam, sed habet ab eo distinctam originem.

2. Præterea, Conceptio Christi debuit esse maxime

A miraculosa. Sed maius est miraculum, formare corpus hominis ex limo terre, quam ex materia humana, quæ de Adam trahitur. Ergo videtur, quod non fuerit conueniens Christum ab Adam carnem sumpsisse. Ergo videtur, quod corpus Christi non debuerit formari de massa humani generis deriuata ab Adam, sed de aliqua alia materia.

3. Præterea, Peccatum in hunc mundum intrauit per unum hominem, scilicet per Adam: quia omnes in eo originaliter existentes peccauerunt: vt patet Romanorum. 5. Sed si corpus Christi fuisse ab Adam sumptum, ipse etiam in Adam originaliter fuisset, quando peccauit. Ergo peccatum originale contraxisset, quod non decebat Christi puritatem. Non ergo corpus Christi est formatum de materia sumpta ab Adam.

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Hebræos. 2. Nusquam Angelos apprehendit, scilicet filius Dei: sed semen Abrabæ apprehendit. Semen autem Abrabæ sumptum est ex Adam: ergo corpus Christi fuit formatum de materia ex Adam sumpta.

Respondeo dicendum, quod Christus humanam naturam assumpsit, vt eam à corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat natura humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiosam, quæ ex Adam descendebat. Et ideo conueniens fuit, vt carnem sumeret ex materia ab Adam deriuata, vt ipsa natura per assumptionem curaretur.

Ad primum ergo dicendum, quod secundus homo, id est, Christus, dicitur esse de celo, non quidem quantum ad materiam corporis: sed vel quantum ad virtutē formatiui corporis: eius, vel etiam quantum ad ipsam eius diuinitatem: secundum autem materiam corpus Christi fuit terrenum, sicut & corpus Adæ.

Ad secundum dicendum, quod sicut supradictum, mysterium Incarnationis Christi est quiddam miraculosum: non sicut ordinatum ad confirmationem fidei, sed sicut articulus fidei. Et ideo in mysterio Incarnationis non requiritur quod sit maius miraculum, sicut in miraculis, quæ sunt ad confirmationem fidei: sed quid sit diuina sapientiæ conuenientius, & magis expediens humane salutis, quod requiritur in omnibus, quæ fidei sunt. Vel potest dici, quod in mysterio Incarnationis non solum attenditur miraculū ex materia conceptus: sed magis ex modo conceptionis & partus: quia scilicet Virgo concepit, & peperit.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, corpus Christi fuit in Adam secundum corpulentam substantiam: quia scilicet ipsa materia corporis Christi deriuata est ab Adam. Non autem fuit ibi secundum seminalem rationem: quia non est concepta ex virili semine. Et ideo non contraxit originale peccatum, sicut ceteri, qui ab Adam per viam virili seminis deriuantur.

COMMENTARIVS.

In hoc, & sequentibus articulis multa tractat D. Th. de quibus in superioribus, vel alia occasione, vel sub aliis titulis, & rationibus disputaui. Et quia in eis locis exposita sunt, curabo diligenter inutilē repetitionē vitare, signando loca, in quibus de vna quaque re dictum sit, & ea solum addendo, quæ ad præsentis textus expositionem fuerint necessaria. In hoc ergo articulo rationem reddit D. Thom. ob quam decuit Verbum assumere humanam naturam, non ex noua materia, seu ex nihilo creatam sed ex Adam posteritate formatam. Quam rem attigit etiam supra, quæst. 4. art. 6. & à nobis tractata est disputatione 15. sectione 1. Prioris Tomi. Hic solum adde, sed doctrina huius articuli colligi Christum Dominum, sicut dicitur filius Abrabæ, vel Dauid,